FORTUNANTE CHRISTO!

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

ΔΥΣΤΟΚΙΑ NATURALI,

Quam

Indultû Illuſtris ac gratioſiſſimi Collegii medici

IN ALMA HAC SALANA,

PRÆSIDE,

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO,

DN. JOHANNE ARNOLDO FRIDERICI, Phil. & Med. Doctore, Anatomiæ, Chirurgiæ ac Botanices Prof. Publ. celeberrimo, Medic. Provinc. Saxo-Altenb.

Domino Patrono, Fautore ſtudiorumq́; ſuorum Promotore ætatèm devenerando,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA HONORES & INSIGNIA DOCTORALIA, legitimè capeſſendi,

publicæ ἰατραγωνιςῶν *ſubmittit disquiſitioni*

ANDREAS WILHELMUS DEMM/

LONGOSALISSA-THURINGUS, PRACTICUS IBIDEM.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad d. 14. Aprilis horis pro- & pomeridianis, M DC. LXV.

Literis NISIANIS.

A. Ω.

DISSERTATIONIS NOSTRÆ INAUGURALIS

CAPUT I

SIT PROOEMII LOCO.

NOn poſſum non, quin ſtatim in *Diſputationis noſtræ* limine, cum illuſtri Salanæ ſidere, *Rolfinciô, epitom. cognoſc. & cur. morb. part. lib.3. cap.22. pag. 328.* ita exclamem: *miſereri digna eſt fœminei ſexûs conditio, quod præter tot morbos viris communes, variis tentetur ægritudinibus, quæ muliebres dicuntur.*

Sanè altiori mentis indagine in variorum iſtorum morborum ac ſymptomatum ſi inquiramus cauſas, plurimis, ſi non omnibus, ex utero ſuos deberi natales, in confeſſo eſt. Ecquid enim magis commune mulieribus, quàm conqueri de cephalalgiâ, vertigine, vigiliis, oculorum obfuſcatione, cardialgiâ, cordis palpitatione, nauſeâ, vomitû, torminibus ventris, laſſitudine & centum aliis accidentibus, in non prægnantibus ob menſtrua vel ſuppreſſa, vel non ritè fluentia; in gravidis verò ob imprægnationem ortis.

Hi & ſimiles affectus minimè ſunt contemnendi: multum enim & ægrotanti & medico ob atrociam faceſſunt negotii.

Sed horum vehementiam longè doloribus antecedit *partus difficilis*. Id optimè innotuit Medeæ apud *Euripidem*, in hæc memorabilia erumpenti verba: *Se malle ter in acie ſtare, quàm ſemel parere.* Neque ſacer codex reticere poteſt anxios parturientium cruciatus, ſed ſummas rerum anguſtias κατ' ἐξοχὴν cum parturientium doloribus confert.

Nobis, ex ejus elaboratione haud exiguum ſperantibus uſum, lubuit *Diſſertationis Inauguralis* loco PARTUM DIFFICILEM prælo ſubmittere.

Nolumus autem hìc γραμματίζειν, ſed remittimus in evolutione nominis curioſum lectorem ad etymologicos, ne pagina ultra debitum excreſcat. Etenim inſtituti noſtri jam non fert ratio, prolixè de hâc materiâ diſſerere.

Partum autem difficilem variè intelligi poſſe, clarum eſt: *in genere*, omnem difficilem fœtus, exitum non naturarali figurâ affectantis, complectitur excluſionem, qui *partûs difficilis præter-naturalis* nomine inſignitur, nec hujus eſt loci; *In ſpecie* dicitur partus difficilis, quatenus quidem infans in caput convertitur, nihilominus redditur difficilis, qui *partus difficilis naturalis* appellatur, & hîc deſcribitur.

CAPUT II

definitionem aggreditur.

Eſt autem δυστοκία *difficultas partûs, tardior excluſio fœtûs, maturationem adepti, ex uterô, majore cum matris & fœtûs periculô, gravioribus ac magis triſtibus ſymptomatibus, quàm naturaliter fieri debebat, proveniens à labefactatâ uteri expultrice.*

GENERIS locô poſuimus *tardiorem, aliàs ſolito, fœtûs excluſionem.* Conſtat ex *Riolani enchirid. anatom. libr. 2. cap. 37.*

cap.37.pag.185. cùm fœtus, verba ejus ſunt, *perfectum ſe agnoſcat*, (quam fœtus perfectionem ipſimet etiam in definitione addidimus ad excludendum abortum, qui fœtus immaturus, *autore Hieronymo Capivaccio medic. pract.lib.4.cap. 9.*) *ſive menſe ſeptimô, ſive nonô, qui terminus eſt ordinarius exeundi ab uterô, impatiens moræ ulterioris & incarcerationis ſua repagula frangit, &, exitum quærens, ſibi viam parat capite præeunte, talisq́; partus dicitur naturalis.* Hactenus ille.

Cùm verò ſcopum ſuum minus aſſequi valeat, viis genitalibus impingat, ulteriusque in uteri antris commorari cogatur, ecquis eſt, qui partum difficilem non ad *claſſem ſymptomatum* referre velit?

Rodericus à Caſtro de morb. mulier. lib. 4. cap. 6. & David. Stegmannus in ſuâ inaugurali Baſileæ excusâ, decad. 5. diſp. 8. §. 2. ſub genere *retentorum p.n.* continent. Actionem etiam ſimùl lædi manifeſtum eſt. Solet autem iſta læſio, ut ex inſtitutionibus notum, fieri tribus modis: *ablatè*, cùm maturus fœtus adque exitum habilis planè non excluditur: *imminutè*, quando quidem ejicitur, ſed longiori opus eſt temporis intervallo, ulteriusque, quâm par eſt, procraſtinatur: *depravatè*, quando dolores, plus juſtô ſint acerbiores, nonnunquàm tanti, ut noxam utero viciniſque partibus inferre ſoleant, quod etiam indicare in definitione voluerimus hisce verbis: *majore cum matris & fœtûs periculô.*

Nullum absque doloribus naſci fœtum Evæ DEUS in Paradiſi hortô inculcavit, verùm alium aliô difficiliorem & doloroſiorem naſci, nemo ſanæ mentis abnegabit.

CAPUT III
examinat ſubjectum.

SUBJECTUM *uterus* eſt, μήτηρ ἢ ὑστέρα quaſi viſcerum poſtrema. Hic egregiè fœtum fovet, nutrit, usque

dum oneris ampliùs ferendi impatiens, eum extrudit, niſi in actione impediatur.

Laborat modò per ἰδιοπάθειαν, modò per συμπάθειαν. Per ἰδιοπάθειαν, ποτὲ δὲ τῆς ὑστέρας αὐτῆς ἴδιον πάθος ἀναδεδεγμένης, *ubi uterus propriam affectionem ſuſcipit*, à morbo vel intemperiei, vel conformationis, vel ſolutæ unitatis, vel alio modo dilaceratur. *Gvilielmus Fabricius Hildanus obſerv. chirurg. cent.4. obſerv.57.*

Per συμπάθειαν, ὅλου τοῦ σώματος ἀῤῥώστως διακειμένου, *totô malè affectô corpore*, præcipuè partibus vicinis non rectè diſpoſitis.

Caput IV
adducit cauſas.

IMMEDIATA eſt *labefactata uteri expultrix.*

MEDIATÆ PROXIMIORES, nimirum NATURALES, quas collegêre *Hieronymus Capivaccius medic. pract. lib.4. de affect.uteri cap.9.*, *Rodericus à Caſtro lib.4. de morb. mulier.cap.6.*, *Michael Johannes Paſchalis meth. cur. morb.lib. 1.cap.59.*, *Sebizius ſpec. med. pract. part.5. ſect.4. cap.2. pag. 1665.*, *Sennertus med. pract. lib. 4. part. 2. ſect. 4. cap.4.*, *Stegmannus in ſuâ inaugurali* & alii, revocantur ad δύναμιν αὐτὴν πεπονθυῖαν *facultatem læſam.*

Nos citatorum autorum modum & diſtinctionem retinemus, pro circumſtantiarum ratione, modò puerperæ, modò fœtui, modò membranis cauſam injungentes.

In puerperâ ratione corporis vel *totius*, quando animo & corpore imbecillis, vel naturâ, vel ætate, ut in puellâ & anû, autore *Aëtio tetrab.4. ſerm.4. cap.22.* quando obœſa, ſtaturæ brevis, primipara, pariendo haud adſueta, ægrè dolorum ferax, imperita, ita ut allaborare nolit; *Partis*

tis, ubi accuſanda uteri debilitas naturalis, cujus ſegnis facultas fundum non contrahere, fœtumque expellere ſolet.

Quomodo p. n. læditur, infrà dicetur.

Circa fœtum nota, ſi is debilis, major, quàm fœminæ conſtitutio naturalis ferat, gemini, præcipuè, ſi uterque in uteri cervicem ſimul decumbat, nimis exiguus & minoris, quam conveniebat ponderis, ut nihil opis conferat, neque naturæ aut matris conatui adminiculetur, tunicasve disrumpat, cenſore *Paulo Ægineta lib. 3. de re medicâ. cap. 76.*, cui adſtipulatur *Aëtius loc. cit.* Secundùm *Ariſtotelem lib. 7. hiſtor. animal. cap. 4.* *τὰ θήλεα βραδύτερον, fœmina partus tardior eſt.*

Membranarum ratione duabus de cauſis, vel ob earum (*ἀμνίȣ* ſcil. *καὶ χορίȣ*) firmitatem & crasſitiem, vel tenuitatem & ſubtilitatem. Secundina enim ob denſitatem difficulter; ob tenuitatem verò citiùs rumpitur, quò fit, ut aquæ præcocius effluant, viæque, per quas fœtui tranſeundum ſicciores evadant, ita ut is ſummâ cum difficultate per loca ſicciora elabatur, judicio *Æginetæ, & Aetii, lib. & cap. cit.* Videtur hæc melius ad cauſas p. n. referri.

Quærat hìc aliquis: *Cujusnam naturæ ſit humor iſte?* Reſpondemus: eſſe partem colliquamenti ſeu humoris albuginei Harveani relictam, miſtam cum ſanguine itemq; ſeroſo & ichoroſo humore, in glandulis genito partim, partim excrementitio alio, qui à multis humor mulierum genitalis, ſed falsò, creditur.

MEDIATÆ REMOTIORES, aliàs SEX RES NON-NATURALES dictæ, non incommodè ad *ἔξωθεν τινὰ πλημμέλιαν, errorem externum*, referuntur.

AER in primis qualitatibus excedens tempore *hyemis* aquilonaris, frigidus & ſiccus *3. aph. 11.* ſolida reddit corpo-

ra, 3.

ra, *3.aph.17.*, ÆSTATIS, calidus & ſiccus, corpora exſolvit, ſpiritus diſſipat, adſtipulante *Paulô Æginetâ.*

Neque VER hyeme νοτίῳ καὶ ἐπόμβρῳ καὶ εὐδίῳ, *auſtrina pluvia & tepida prægreſſâ*, αὐχμηρὸν καὶ βόρειον *ſiccum & aquilonium* eſt excludendum.

AUTUMNUS, teſte *aphor. Hipp. 22. Sect. 3.* morbos coxarios producit.

CIBUS & POTUS. (1.) refrigerantes, adſtringentes, medicamentaque ſtyptica intrà & extrà applicata. Unde rectè monet *Hoffmann. de uſu & abuſu chimiæ.:* Spiritum ⊕ in magnâ copiâ mulieribus præſcriptum, & largiori uſu asſumptum, mulieres reddere ſteriles. Vid. *Schonbornii manuale med. pract. de utero nocivis pag. 232.* (2.) nimis calefacientes, mordaces, acres, quibus annecte φάρμακα potenter agentia: quamvis videantur ſtimulum addere; attamen præcociter uſurpata, plus ſæpè obſunt, quàm proſunt.

INEDIA, quantum incommodi afferat, conſtat ex *Sennerti inſtit. lib. 2. part. 2. cap. 2. pag. 223. Magnifici* noſtri *Rolfincii meth. med. ſpec. comment. lib. 2. ſect. 3. cap. 56. Walæi meth. med. pag. 73.* Ex his itaque collige, an puerperæ vel prægnanti conveniat.

SOMNUS, quia calorem reddit hebetiorem, humores cumulat, excrementa retardat: contrà verò VIGILIÆ corporis vires labefactant, ſpiritus diſſipant, calorem nativum debilitant, ſecundùm *3. aphor. Hipp. lib. 2.* exulent.

His haud ſunt abſimiles MOTUS & QVIES. Ad motum enim quâcunq; de causâ nimium, uterus utplurimum aſſurgit. Proindè benè ſibi ab hoc caveant. Otioſam & ſellulariam vitam ſuſpectam habet *Ariſtoteles lib. 4. de gener. animal. cap. 6.*

Τὰ ἐκκρινόμενα καὶ ἐπεχόμενα, EXCRETA & RETENTA, ut detentio excrementorum, craſſorum in inteſtinis, liqui-

liquidorum in veſicâ, cenſore *Aëtio tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 23.* Huc etiam humor in membranis contentus trahendus.

Παθήματα, ANIMI AFFECTUS inter non extrema occupat ſubſellia ira, quæ duplex à *Magnif. Rolfinciô meth. medic. ſpec.* una erumpens, altera concluſa, utraque noxia ſtatuitur, gaudium inſigne, odium, mœſtitia, timor, terror, ſi parturiens verecunda eſt.

Quibus adde coitum tempore imprægnationis, à contrariô eum disſuadet *Hippocrates lib. de ſuperfœt.*, autore *Anutio Foëſio pag. 261.* κυΐσκουσα, verba textûs ſunt, ἡ γυνὴ, ἢν μὴ λαγνεύηται, ῥήϊτερον ἀπολυθήσεται τοῦ τόκου, *mulier prægnans, ſi venerem non exerceat, partû faciliùs liberabitur.*

Agmen denique claudunt PRÆTER-NATURALES *cauſæ*, reſpiciunt, diſtinctione ſuprà obſervatâ, puerperam, fœtum, membranas.

Mater quatenus afflicta eſt morbis, vel *intemperiei*, quando prædominatur nimia caliditas, ſiccitas, uterus cum vicinis partibus, inteſtinô rectô, muſculis abdominis, veſicâ, hæmorrhoidibus inflammatur, gravida febricitat, teſtimoniô *divini Senis 5. aphor. 55.* vel *conformationis*, quando meatûs & viæ, per quas fœtui transeundum, ſe non rectè habent, vulva eſt exigua, os uteri ſtrictum, collum longum, oſſa pubis nimiùm connexa, ſecundùm *Rodericum à Caſtro*, uterus parvus, ſecundùm *Aetium & Paulum*, os uteri à ſcirrhô, tumore, abſceſſu, carunculâ clauſum, cervix obliqua, partes vicinæ craſſæ, hæmorrhoides tumentes, rectum inteſtinum excrementis, veſica calculis referta, oſſa coccygis intus gibboſa, coxendicis malè conformata, ut in claudicantibus, aſſerente *Sennertô in praxi*: vel *ſolutæ unitatis*, ſecundinâ ab uterô vi avulsâ, ex feſtinatione & imperitiâ obſtetricis, prægnantem ante tempus in parturientium do-

B lores

lores conjicientis, muſculis abdominis perforatis, exulceratis, vel quôcunq; aliô modô læſis. Adde his, ſi prægnans vel parturiens phthiſi vel aſthmate laboret: eâ enim ratione ſpiritum ad partum neceſſarium cohibere neſcit, quod innuere videtur *Ariſtoteles lib. 7. hiſt. animal. cap. 9.*, μὴ δύναται τὸ πνεῦμα κατέχειν, *quibus facultas retinendi ſpiritum non ſuppetit.*

Horrendum, minimè hîc prætereundum, ſanè eſt auditu, quod nonnunquàm ſagæ per diabolum, DEO permittente, circa partum patrare ſoleant. Nam ex *Baptiſtâ Cödronchio libr. 2. de morb. veneſ. cap. 3.* refert *Sennertus de faſcinatione & incantatione lib. 6. prax. part. 9. cap. 1. pag. 382. & cap. 3. pag. 395.*, quod ex vetulæ cujusdam contactu, fœmina nobilis fœtum, in fruſta comminutum, ejecerit. Sic alia mulier aliquoties abortum, fœtû nimirùm ſepties in uterô vi veneficii enecatô, eſt experta, idem *Sennertus p. 396.* confirmat: non rarò etiam novos conjuges ligari, ita ut nulla virilis membri erectio per aliquos annos fuerit obſervata, idem nos docet *citatus locus.* Si itaque hæc præſtare valet diabolus, non dubium eſt, quin etiam partum difficilem reddere poſſit.

Fœtum concernunt, quatenus morboſus, aut inuſitatæ magnitudinis vel *totalis*, ut ſi totus intumeſcat, vel *partialis*, ut ſi ὑδροκεφάλῳ laboret, vel thorax, vel venter plus æquò eſt auctus &c.

Membranarum ſuprà facta fuit mentio, addit *Hippocrates lib. de ſuperfœt.* autore *Anutiô Foeſiô pag. 260.*, ſi ſecundina vel involucrum fœtum antecedant, & *Sennertus*, ſi vaſa umbilicalia aliquot gyris collo infantis circumvoluta ſint.

CAP. V.

CAP. V
de differentiis agit.

GENERIS ratione alium eſſe ablatum, alium imminutum, alium depravatum,

SUBJECTI ratione, alium fieri uterô affectô per πρωτοπάθειαν, alium per δευτεροπάθειαν, alium magis affectâ ſiniſtrâ, alium dextrâ parte.

CAUSARUM ratione aut læſâ facultate, aut ob errorem externum fieri notum eſt. Obſerva hîc diſtinctionem noſtram, & applica differentias ſecundùm cauſarum ſeriem, ſuprà obſervatam, puerperæ, fœtui, membranis.

SYMPTOMATUM ratione alius ſeſe manifeſtat uteri læſione, alius ligamentorum rupturâ aut laxatione, alius ani procidentiâ, alius vulvæ dilaceratione, alius largâ ſanguinis profuſione, alius lipothymiâ & ſyncope, alius morte ipsâ. Et puto vix ſymptomata enumerari poſſe omnia, quæ hôcce in tragicô theatrô puerperis ſolent advolare.

CAP. VI
ſigna diagnoſtica profert.

PRæſupponimus hîc quidem tempus partûs legitimum: verùm non raro vani, inanes & irriti dolores, (german. **die unzeitige / unnütze und vergebene Wehe / ſo nicht auff die Schloß dringen**) difficilioris partûs cauſæ eſſe ſolent. Cùm itaque juſta pariendi hora inſtet, dolores ſint langvidi, & ſecundùm *Ariſtotelem hiſt. animal. lib. 7. cap. 9.* lumbos, h. e. magis poſteriora quàm anteriora occupent, partum fore difficilem creditur, rationem addit *Stegmannus in ſuâ inaugurali* §. 9.

Quare GENERIS ratione διάγνωσις ex actionis læſæ triplicitate, medicique vel prudentioris obſtetricis effatô facilè innoteſcet.

CAUSÆ etiam indagari merentur, earum varietatem ad puerperam, fœtum & membranas ſuprà retulimus, quam & hìc retinemus.

SUBJECTI ratione, quod uterus cum matre, an per eſſentiam, an per conſenſum difficultas partûs oriatur, disquirendum. Afficitur autem uterus eſſentialiter vel debilitate naturali, vel ad ſcititiâ, cum laborat vitiô vel ſimilari, vel organicô, vel communi. Συμπαθικῶς matre debili, anteà difficulter parere ſolitâ, φθίσει, aſthmate laborante. His itaque præſentibus non poteſt non fieri partus difficilis.

Fœtus partum difficilem certiorem reddit, ſi debilis, capite oſſibus pubis inſiſtat magno (wenns hart uffſtehet) ſi gemelli &c. quæ ab obſtetrice exploranda.

Denique partum fore difficiliorem, membranarum nimia adhærentia, craſſities & ſubtilitas, quæ in causâ, ut purgamenta ante fœtum effluant, *Hippocr. lib. 3. de fœtûs exſectione, Anutio Foeſio* autore, *pag. 914.* confirmant.

Quod ſi verò omnia rectè ſe habeant, fœtûs juſtâ gaudeat magnitudine, nihilque in parturitionis actû deſideretur, cenſendum fœtui, vel molam, vel aliquid aliud eſſe adjunctum. Molam enim fœtui annecti, probavimus in *noſtrâ de Molâ diſputatione.*

CAP. VII

ſigna prognoſtica explicat.

PArtus difficilis, haud immeritò nominandus eſt, ἐξάνθρω-

πος

πος ἡ συμφορὴ καὶ ἀτερπὴς μὲν ἡ ὄψις ὀδυνηρὴ δὲ καὶ τῷ ἐρέοντι θέη. *inhumana calamitas, injucundus adſpectus, triſte intuenti ſpectaculum.* Πόνοι ἁπάντων καρτεροὶ, φωνὴ ἁπάντων κλαυθμώδης. *dolores omnium atroces, vox omnium flebilis.* Φυγὴ ἐπιπόνου πάθος, καὶ κίνδυνος ὑπομνήσιος. *laborioſum malum & periculi plenum*, partim individui, partim ſpeciei causâ.

Sed benè ſperandum, ſi *mater* hilarioris mentis, viribus valens, partibus genitalibus, & iis vicinis, nihil partum remorans, inſit, ſternutarit ſecundùm *Hippocr. aph. 35. ſect. 5.*, nec languidior in partu reddatur. *Fœtus* in utero laudabilioris ſit conſtitutionis, in motû non debilis, quantitatem naturalem nec excedens. *Membranæ* inſuper ante tempus non rumpantur.

Poſſet quidem evenire, ut mater febre vel aliô corripiatur morbô: ſed ſi is non acutus, nec febris diuturna vel ardens, & mater & fœtus ſervari poſſunt. Sed hîc debeat medicus προσδοκεῖν.

Omnia verò contrariô modô ſeſe manifeſtantia, pro circumſtantiarum ratione mox puerpera, mox fœtus, mox uterque obit. Sic nobilis fœmina quædam, partibus prædita genitalibus delicatioribus, & fœtû in uterô benè nutritô, ob ejus auctam magnitudinem, cum ipsô in partû ſuccubuit. Idem præſtare poſſunt gemelli, ſimul ad exitum properantes. Fœtum mortuum nonnunquàm in vitæ periculum prægnantes conjeciſſe, liquet. Excluſionis fœtûs ad quartam diem & ultra usque procraſtinatio, oſſiumq; pubis magnitudo, ſi in cauſa, fœtus perire ſolet, itemque mater, niſi extrahatur chirurgiæ adminiculo, *Sennerto* ſuadente.

Plura qui deſiderat, ex cauſis anteà allegatis extrahere, cuilibet integrum eſto. Nos, antequàm ad alia pro-

grediamur, quærimus: an ſalvus fœtus uterô eximi poſſit matre in partû mortuâ? & cum *Sennertô de partû cæſareô pag. 437.* annuimus.

CAP. IIX

methodum commendat, ἀφαιρετικὴν καὶ προσθετικήν.

CURATORIA reſpicit ipſam actu parturientem. In eâ lapidem moveamus omnem, quo laborem ipſius promoveamus, obſtacula removeamus. Fit autem, ſi cuique cauſæ ſuum peculiare adjungamus medicamentum & curationem.

PRÆSERVATORIÆ ſcopus in juſtô diætæ regimine videtur conſiſtere. Idcircò *ante partum* (*Stegmannus* §. 11. ponit menſem, aut viginti quinque dies. *Rodericus à Caſtrô de morb. mul. cap. 6. lib. 4. pag. 473.* viginti) conclavi teneatur temperato, cibis, alvum lubricam ſervantibus, utatur, paſſulis minoribus delectetur &c. Plura *cap. de diæta* ſequentur: *inſtante* prope *partu* alimentorum copiâ corpus tantùm abeſt, ut gravetur, ut potiùs levis deambulatio inſtituatur.

Cordi ejusque ſpiritibus, confortantibus, roborantibus atque augentibus ſuccurrere, conſultrix eſt VITALIS INDICATIO.

MATERIÆ hauriuntur ex fontibus uſu & praxi receptis.

CAP. IX

ex chirurgico.

Hîc ſtatim quæritur: an vena ſecanda? *Hippocrates* eam probat *lib. 1. de morb. mul.* autore *Foeſio p. 623.* his verbis:

bis: ἢν δὲ ἡ κύουσα πουλὺν χρόνον ἐπέχηται, καὶ μὴ δύναται τεκεῖν ἀλλ' ὀδύνη πλείους ἡμέρας. Νέη δὲ ᾖ καὶ ἀνεμάζῃ καὶ πουλύαιμος, τάμνειν χρὴ τὰς ἐν τοῖσι σφυροῖσι φλέβας, καὶ ἀφαιρέειν τοῦ αἵματος πρὸς τὴν δύναμιν ὁρῶν. *Quod ſi prægnans diutiùs immoretur, & parere non poſſit, ſed pluribus diebus partûs doloribus discrucietur, ſit autem juvenis & ætate florens, multoq́ ſanguine redundet, venas in malleolis ſecare oportet, & virium habitâ ratione ſanguinem detrahere.* Sed videtur conſultiùs eam in ipsò actu omittere. Primis quidem, & ſi opus, mediis imprægnationis menſibus, gravida ſi plethorica, magnumq́ue fœtum aliàs edere conſueta, concedenda videtur: Sic enim ſanguis ab uterô quodammodò detrahitur, fœtusq́ue incrementum præcaveri poteſt.

FONTICULI & CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ parum vel nihil utilitatis ſpirare, ecquis eſt, qui dubitet? COECÆ inguinibus applicatæ orificiô uteri apertô, ejusq; expultrice debilitatâ fortean aliquid præſtent.

CAP. X

ex pharmacevtico haurit medicamenta.

SUmmum arcanum, ad quod in omni curatione, ceu ad ſacram anchoram, fugiendum, ſint piæ preces, ſecundùm illud tritum:

à prece principium de prece finis erit.

Proinde in noſtro affectu curam myſticam præmittendam, DEUMq; pro auxiliô prius eſſe implorandum ſuademus, reliqua poſteà naturæ & medicamentis committenda.

Horâ itaque partus inſtante non immeritò à *matre* curationis

rationis exordium capimus, quæ ſi debilis alimentis & medicamentis tàm in internis quàm externis eſt reficienda. Ante omnia autem hypocauſtô, pyris vacuô (partum enim impedire ſolent, ſi *Michaëli Johanni Paſchali de curand. morb. lib. 1. cap. 59.* credimus) foveatur temperatô, ſellæ, orificiô uteri apertô, debitè innitatur, refocillanda interim erit, ſi labor, ultrà quam convenit, extendatur, cibo εὐχύμῳ. *jure pullorum gallinorum, ovis tremulis cum croco*, capiat *hauſtum vini meliſſæ, zedoariæ*, vel alterius generoſi, aſſumat bucculas panis, adſperſas *cinamomi pulvere*, in vino maceratas, ſuperbibatq; hauſtum, nec negligat ab arte medicâ communicata, qualia ſunt: *ſpir. analeptic. Rolf. liquor cordial. Mynſ. balſ. embryon. Auguſt., aq. cord. Saxon. cinam. borrag. cord. C. meliſſ. vitæ mulier. hirund. c. caſtor. apoplect., elix. citr. cordial. vitæ Matthioli, miſtur. cordial. vital. Rolf. tinct. corall. eſs. moſchi, & ambr. liquid. conf. alkerm.* quæ non tàm confortans quàm ſtimulans cenſetur, *ſpec. diamarg. cal. cordial. temp. diaromatic. eſſent. ambr. moſchat. Rolf. trochiſc. vitæ. Mynſ.*

Medicamenta ex perlis præparata apud incomparabilem virum *Rolfincium*, in ſuâ, margaritis æquivalente, *diſſertatione cap. 8. & 14.* invenies. Externè naribus, cordi, pulſibus balſama, unguenta, ſacculi & epithemata, ex herbis, ſpeciebus, aquis & oleis cordialibus parata, applicentur, quæ cùm ſint nota, in iis recenſendis nolumus eſſe prodigi. Hoc vult *Ægineta, quæ in animi*, inquiens, *inciderit deliquium odoramentis non offendentibus refocilletur, allevata autem mediocriter cibo modico nutriatur.* Hæc conveniunt mulieri frigidioris naturæ.

Quod ſi verò mulier temperamenti calidioris, ita, ut ſpiritus exſolvantur, *Aetius* corroborat condenſantibus ac maximè conſtringentibus, & firmitatem inducentibus,

qualia

qualia ſunt reſperſiones ac inſeſſiones ex *myrto*, *pampinis vitis*, *malis punicis*, *roſis &c.* Reſperſiones quidem tolerari poſſunt ex *aqua roſar.c.acet.fl. tunic. viol. lil. convall.bezoard.* ſed inſeſſiones tales minus tutas cenſemus, præſcribenda potius ſunt alia ex *aq. acetoſ. roſar. acetoſel. borag. bugloſs.* additis *ſir. d.rub.idæo. rib. berb. acetoſ. citr. violar. lap.pretioſ. mag. ocul. 69. perlar. corall.* &c. quæ omnia medici judicio ſunt relinquenda.

Pingues & carnoſæ præſervationis tempore curari posſunt V.S. curationis verò tempus ſitûs ratione expreſsêre *Aetius* & *Æginet a.*

Primiparæ, & quibus viæ anguſtæ, uteri oſculum clauſum, cervix ſtricta, laxatione opem ferre debemus, pinguibus & emollientibus medicamentis, vel per inſeſſus calidos, ex decoctô herbarum, florum & radicum emollientium; vel per infuſiones aſſiduas oleorum calidorum, *amygd. chamæm. lin. lil. alb. lumbric.* vel per inunctiones adjectâ pinguedine aliquâ oleis hisce, *anſerinâ, gallinâ, anatinâ, butyrô non ſalitô;* vel per ſacculos & cataplasmata, pubi, lumbis ac inferiori ventris regioni imponenda. Suadendus poſteâ motus per paſſus diſtantiores, terram item pedibus calcent, concutiant.

Parvitas uteri ubi occurrit, iisdem medicamentis laxantibus & emollientibus invigilandum, quapropter nihil novi adjiciendum, quàm quod fœtûs excluſio hîc ſit anceps.

Si inteſtinum rectum excrementis plenum, fœtûs exitum retardet, eluendum per clyſterem. Sic *Heurnio ſchol.* ſuper *aph.34. ſect.5.* in mulieribus quibusdam res feliciter ſucceſſit. Ex mente ejus talis poteſt concinnari.

℞. *herb. artemiſ.*
alth.
malv.
parietar.
☿ial.
branc. urſin. a. m℔.
fl. verbaſc.
chamæm.
melilot. a. m℔.
ſem. lin.
fœnugr.
ſeſel.
malv. a. ʒj.
rad. lil. alb.
bryon.
ariſtol. rot.
a. ℥ß.
coq. in s. q. aq. f.
Col. ℔j.
add. *ſacchar. Thomæ*
℥iß.
ol. amygd. d. ℥j.
vitell. ovor. no. j.
⊖ *com.* ʒj.
M. f. clyſter. S. Clyſtir.

Poſſet etiam de nodulô ex laxantibus, & partum promoventibus, ex vinô bibere.

Lotium ob veſicæ collum obſtructum, diureticis vel cathetere eſt educendum.

Ob lumborum cavitatem lumbis magis quàm natibus inniti ſuadent *Aetius* & *Stegmannus in ſuâ inaugurali* §. 15. ne oſſis coccygis ad poſteriora diſtentio prohibeatur.

Pudor in verecundis, & anxietas in timidis & conſternatio mentis exulent. Præterea puerperæ blandè ſunt monendæ, ut obſtetricis labores coadjuvent, conatus intendant, promoveant.

Plura his eſſent annectenda, quia verò inſtituti noſtri rationem excedunt, nec tempus patitur, eorum curationem in propriam rejicimus tractationem.

Matrem excipit Foetus, qui ſi debilis, per matrem eſt corroborandus. Inter alia umbilicum foveat cruſtâ panis, quæ aſpergatur vinô malvaticô, cum nuc. moſch. caryophyl. mac. cinamom. Quod ſi gemini & uterque collum uteri offenderit, vel mortuus, vel magnus, modum extrahendi monſtrat *Aetius*.

Membranas tenuitate & craſſitie peccare ſuprà diximus. Hæ arte aperiantur medicamentis emollientibus. Quod ſi effectus votò minùs reſpondeat, obſtetrix acutioribus ungvibus, volſellâ vel ſcalpellô eas ſcindat; ſed cavenda læſio fœtùs & matricis: illius præcox ruptura, quâ humor excernitur, oleis & linimentis convenientibus curatur.

℞. *ol. chamæm.*
lil. alb.
aneth.
lumbricor. a. ℥ß.
amygd. ʒij.
M.d.in pyx. S. Euſſerl. Oehl zu Linderung der Geburth.

℞. *mucilag. ſem. alb. c.*
aq. lil. alb. fact. ℥j.
axung. anſer. gallin.
a. ʒiß.
butyr. non ⊖*it.* ʒij.
ol. lil. alb.
lumbric. a. ℥iij.
amygd. ℥ij.
M.f.linimentum.

ſi placet unguentum, adde ceræ q. s, d. in pyx. S. lindernd Geburths-Sålbichen.

His & ſimilibus obſtetrix debet eſſe inſtructa pro inunctione manûs, colli cervicis & pudendorum.

Reliqvum nunc eſt, ut ad EXPELLENTIA accedamus, quæ in principiô ſint mitiora, poſteà fortiora. Extollunt hîc chimici ſua ♄*alia*, ☿*alia*, ♂*alia*, ♃*alia* medicamenta. In uſum etiam trahenda alia: *unicornu* ☉*re Mynſ. Tinct. uterin. ejusd. ſpecies* ♃, *diaborrac. ejusd.* ⊖*uterin. ejusd. aq. hyſteric. dominar. ejusd. elix. uterin. Rolf. bez. min.* ♄♃ *ejusd. extr. hyſteric. majus & minus. Quercet. Tinct. rubin. Conradi Kunrath. aq. hyſteric. Sennert. matric. comp. artemiſ. comp. cinam. lil. alb. c. apicibus luteis, vit. mulier. extr. caſtor. ſabin. croc. trochiſc. d. myrrh. pulv. teſticulor. equin. ſecundin. primipar. ſecund. capræ, præp: ad partum Auguſtan. borrax. caſs. lign. crocus. fl. cheiri. calcatr. cyan. rad. lil. alb. bryon. cyclam. rub. tinct. ariſtoloch. ſuccin. alb. Hippocr. lib. 1. de morb.* exhibet

elaterium, cantharides integras. Sed releganda hæc à noſtris aris & oris.

Ex his pro lubitu parturienti licet propinare.

℞. *pulv. ad part. Auguſt.* ʒß.
ſpec. diaborrac. Mynſ. ℈j.
M. div. in ij. p. æq. S. Pulver in ſchwerer Geburth.
d. c. aq. hyſteric.

℞. *pulvis ad part. ejusd.* ʒß.
⊖ *ſuccini volat.*
uterin. Mynſ. aa ℈ß.
ſpec. ♃ *ejusd.* ℈j.
M. d. in ij. p. a. S. Pulver in der Noth.
d. c. aq. lil. alb. vel artemiſ.

℞. *aq. hyſter. mynſ.*
matricar. comp. a. ℥iß.
elix. uterin.
tr. uterin. Mynſ. a. ʒj.
ſpec. diaborr. ʒß.
M. d. ad vitr. S. Tranck uff 2. mahl / wenns ſchwer zugeht.

℞. *aq. dominar. Mynſ.* ℥ij.
artemiſ. comp. ʒij.
ſir. d. artemiſ. ℥ß.
extr. ſabin. croc. aa. ℈ß.
M. d. ad vitr. S. Tranck uff 2. mahl zu Beförderung der Geburth.

Hæc ſi non ſuccedant, ad STERNUTATORIA cum narium compreſſione, & VOMITORIA deveniendum. Illius materia poteſt eſſe *pulvis ſternutatorius cum caſtoreô*, in officinis proſtans: Hujus ☿ *vit.* Sed non niſi in deſperatis caſibus uſurpandus, & cùm fœtus rectà in caput exit, debilis eſt, & mater in expellendi conatû deficit, dictitante *Magnif. Rolfinciô in ſuâ Chimiâ.* it. ⊖ ⊕. *vomit.* ♀ *emetic. Mynſ. crocus metall. abſynth. ejusd.* & alia. Modum utendi varium ex ipſis autoribus pete.

Excipiunt hæc EXTERNA.

℞. *ol. ſuccin.* ʒj. *myrrh. ſabin.* aa. ʒij.
M. d. S. Euſſerlich Oehl zur Beförderung.

Rolfincius ol. qvajac. & coryli. Conradus Kunrath. ol. philoſ. d. ſagapeno. myrrh. galban. dlat. ſuccin. commendant.

℞. ol.

℞. *ol. cheiri ſabin.*
galban. dlat. d. caſtor. aa. ℥ij.
axung. ſerpent.
hom. a. ℥iß.
eſſ. croci ℥j.
m. f. linimentum, adde ceram & habebis ungventum. S. Mutter Sälblein.

Inungantur umbilicus & pudenda.

PESSARIA proſtant apud Autores, *contra ſuppreſſ. menſ. Mynſ.*

℞. *galban. acet. ſol.* ℥ß.
ſpec. hier. picr. comp.
trochiſc. d. myrrh.
caſtor. ℈j.
c. ſucc. rut. vel. ol. irin. a. ℥j.
f. peſſus, illin. *ol. philoſ.* vel *eſſent. croci.* S. Zäpfflein zur Mutter.

Reſtat SUFFITUS, qui pro ſubjecti ratione variari poteſt, modò ſuaveolens, ex *ladano, ſtyrace, benz. trocbiſc. pro fumo*: modò excitetur fœtidus *caſtoreô, ungulâ aſini.*

℞. *galban. bdell. myrrh.* an. ℥j.
caſtor. ℥ß. *aſa fœtid.* ℈j.
c. ſucc. rut. f. Trochiſci
S. Räucher Küchlein.

Injiciantur carbonibus ignitis, fumusque per tubulum ad uterum ducatur.

Neque *vapor lixivii*, ex *hepate* ♁ facti, ſecundùm *Rolfincii* præſcriptum in *ſuâ chimiâ*, inutile erit.

Amuleta præterimus, quia illorum mentio fuit facta in noſtrâ *de Molâ diſſertatione.*

De Chirurgiâ, quæ fœtum nonnunquàm vivum dirigit, mortuum nonnunquàm fruſtatim eximit, matre interdum ſuperſtite, interdum decumbente, plura eſſent dicenda, niſi prohiberet pagellarum anguſtia. Si itaq; peritus adſit medicus, vel chirurgus, eam lubenti admittimus animô.

CAP. XI
ultima ex fonte diæteticô prodit.

SAt puto dictum ſuprà fuiſſe de actu parturientis regimine ſecundùm ſex res non-naturales. Hîc ſolùm explicabimus,

bimus, quæ aliquô modô à partû difficili præſervare poſſunt, ſecundùm diætam

VITALEM, in quâ obſervandus AER, qui totô geſtationis tempore eligatur temperatus, devitetur frigidus, æſtuoſus, vitioſis μιάσμασι imbutus, exulent odores graves, ♁, caſtorei, fœtor candelarum extinctarum.

NATURALIS offert nobis τὰ ἐσθιόμενα; abſtineat ab omnibus, quæ adſtringunt, denſant, ſanguinem melancholicū generant, difficilis ſunt coctionis, qualia ex ſanguine parata, fumô indurata, aſſata, ⊖e diu nimis macerata. Fugiat piſces in ſtagnantib' & limoſis aquis degentes, & omnia, quæ acredinem ſpirant. Nimis aromatiſata in uſum non trahenda: *Aſſumat è contrariô cibos* εὐχύμους καὶ εὐπέπτους, conditos paſſulis, cinamomô, crocô, maci, (in principiô tamen moderatè) utatur juſculis ex vinô, ptiſanâ ex jure pulli, hauriat ova tremula, nec pullorum, gallinarum, caponum, perdicum, avicularum montanarum, carnis bovinæ junioris, ex piſcibus truttarum, fundulorum &c. uſus negligatur. POTUS ſit cereviſia benè fermentata, vinum medicatum meliſſ. rorismar. zedoar. helen. ALVUS per totum decurſum votô reſpōdeat, aut ſollicitetur pilul. FF. aloeticis, Glaſſianis.

ANIMALIS ſuccedit. In eâ SOMNUS & VIGILIÆ mediocritatem haud excedant. Addunt ſuum ἐπιβάλλον μέρος ΠΑΘΗΜΑΤΑ, ira, invidia, timor, terror, triſtitia exulent, contrà verò omnia lætitiæ & hilaritatis plena ſint. MOTUM exprimit *Aetius*, prohibendæ, inquiens, geſtationes in curribus, violenta exercitia, neque permittendum, ut grave onus elevet aut ſaltet. At circa octavum menſem, *eôdem autore*, motus vehementiores concedi poſſunt. QVIES quomodo ſit inſtituenda, facilè erit hariolari. VENUS amatum ſuum Adonin tunc in lactucâ ſepeliat, conceſſum tempus iterum expectatura. His.

Hiſce omnibus annectimus cum *Aetio* menſe nonô balneum, *Sennertus* ſpecialiùs tempus, quartum nimirùm ante partum diem aſſignat. Balneum ſit tale:

℞. *herb. malv.* | *ſem. lin.*
alth. | *malv.*
artemiſ. | *fœnugr.*
meliſſ. | *ſeſel.* aa. ℥iiß.
matricar. | *rad. alth.*
ſal. | *lil. alb.*
calamenth. aa. mij. | *bryon.*
fl. chamam. | *ciclam.* aa. ℥ij.
melilot. | concis contuſ.d. ad chart. S.
malv. aa. mj. | Species zum Bade.

Poſt balneum venter, os ſacrum, pecten, oſſa pubis & pudenda oleis & linimentis ſuprà propoſitis inungantur; gravidaq; confortantibus reficiatur.

Primiparis, ut concludamus, non rarò cutis finditur. Quare ne hoc malum experiantur, creſcente fœtu, venter oleis, linimentis & ungventis emollientibus humectetur, præſcriptôque gravida jam balneô utatnr.

Atq; hæc ob temporis brevitatem adducta ſufficiant. DEO pro largâ in ſtudiis noſtris hactenus conceſsâ gratiâ & benedictione gratias cantamus perennes, cui ſit LAUS, HONOR & GLORIA.

NOBILI atq; CLARISSIMO VIRO
Dn. ANDREÆ WILHELMO OSANNO,
Med. Candidato dignisſimo; Practico apud Saltzenſes felici & experientisſimo, antehàc συνέικῳ, jam Fautori & Amico pl. dilecto,
Diſputationem inauguralem de PARTU DIFFICILI NATURALI publicæ diſquiſitioni ſubjicienti,
Salutem precor!

Difficilem partum commonſtras ore diſertô,
Et pariter monſtras ingenium facile.

affectui, & quidem ſingulari teſtando LMQ. *addebam*
Joh. Erneſtus Gerhardus, SS. D. & P.P.

CLARIS-

CLARISSIMO
DN. ANDREÆ WILHELMO OSANNO,
LONGO-SALISSA THURINGO,
PRO LICENTIA
ASSUMENDI SUMMUM
IN MEDICINA
GRADUM
publicè diſſerenti,
DIGNUS!
acclamat
& felicem praxin adprecatur
GUERNERUS ROLFINCIUS,
PH. MED. D. P.

QVamvis, OSANNE, ſat refulgeat ſuo
decore virtus tua, nec aura gloriæ
te vana tollat, nec repulſa deprimat,
veris ovantem & acquieſcentem bonis:
rectè tamen facis, quòd ambias bonâ
clarere famâ, ornari honore, laudibus
ad aſtra ferri. Præmiô hôc DIGNUS fuit
quod ſi quis unquàm, OSANNE TU PERDIGNUS ES.

ARS, Natura, Uſus, Medicum fecêre celebrem.
Quòd valeant, validus Tu mihi teſtis eris.
Gratulabundus adjecit
Joh. Theodorus Schenck, Med. D. P. P.

PArtus difficilis facilis TIBI ſcribitur OSANN,
difficilem facilem dat Meditrina TIBI,
Felix, qui tantum potuit cognoſcere. Felix
OSAN eris, Medicos ſic coluiſſe juvat.
Perdius & pernox Meditrinæ ſacra colebas.
Dum colis & coleris, præmia digna capis.
Honoribus
CLARISSIMI DOCTORANDI
applaudit
PRÆSES.